

Sexta est exclamatio, que conficit significationem doloris aut indignationis alicuius per hominis aut urbis aut loci aut rei cuiuspiam compellationem<sup>26</sup>, hoc modo: *O hominem mille mortibus dignum, sive devorandos servos obiciebat murenis, quas esurus erat, sive in hoc tantum illas alebat, ut se alerent!*<sup>27</sup> Item: *O quam pestiferum ab ecclesie rectoribus emanat exemplum, quam evidens obmissa veritate deceptio, ut regibus et principibus orbis terre, quibus propter inpatientiam potestatis invident, sit<sup>q</sup> precipue precavendum<sup>r</sup>, ne de facili se prebeant in manus<sup>s</sup> eorundem, qui semper intercipere conantur incautos et pium reputant innocentiam condempnare*<sup>28</sup>. Item: *O mira divine dispositionis provisio, o ineffabilis sapientia conditoris, o Christi pietas collaudanda, qui orbatu orbis ruine, lubricanti iam fidei, eclipsanti clero, populo iam cadenti, per felicitis vestre promotionis tripudium de pia et necessaria prorsus reparatione provideat!*<sup>29</sup>.

Septima est interrogatio, sed sciendum, quod interrogatio non omnis gravis est neque concinna, sed hec que, cum enumerata sunt ea, que obsunt cause adversariorum, confirmat superiorem orationem<sup>30</sup>, hoc pacto: *Suntne ista subsidia, que promittebas ecclesie, si necessitas immineret? Estne hic retributionis affectus, quem offerebas, si gravamen occurreret?*<sup>31</sup> Item: *Exeas ergo, emule miser<sup>t</sup>, exeas et de Olimpo<sup>u</sup> surgas non equestri, sed pedestri potius vel fabrili! Numquid predecessores tui hec passi<sup>v</sup> sunt, que mei passi fuerunt predecessores? Numquid tui predecessores ita in fide firmi sic stabiles exstiterunt? Numquid tu fuisti rebus omnibus destitutus? Quare clamas? Cur me nominas? Numquid non verecundaris fidem et fideles in publico nominare?*<sup>32</sup>

q) sed Hs.      r) folgt est Hs.      s) manibus Hs.      t) emule miser] verbesert aus miser emule Hs.  
u) Olinpo Hs.      v) passa Hs.

26) Vgl. Rhet. Her. IV 22.

27) Seneca, De clementia I 18, 2. Dort statt *ut se alerent*: *ut sic aleret*.

28) Aus einem Brief Kaiser Friedrichs II. an einen Fürsten (laut Hs. Vat. lat. 5985 Vorsatzblatt an den dux Saxonie) vom 18. Juli 1240. BF 3129. Druck: J.-L.-A. Huillard-Breholles, Historia diplomatica Friderici Secundi 5, 2 (1859) S. 1016. Heinrich hat diesen Brief vielleicht aus der Kanzlei der Wettiner erlangt.

29) Nicht identifiziert. Es handelt sich höchstwahrscheinlich um einen Satz aus einem Glückwunschbrief an einen neu gewählten Papst.

30) Vgl. Rhet. Her. IV 22.

31) Papst Honorius III. an Kaiser Friedrich II. (Mai 1226) = Thomas von Capua, Summa I 1. Druck: MGH Epp. saec. XIII 1 (1883) Nr. 296, S. 217, Z. 32–34.

32) Fast wörtlicher Auszug aus dem Brief des Heinrich von Isernia „Ex habundancia cordis“, Viterbo, Sept.–Okt. 1268, Hampe S. 94, Z. 8–14.